

lima cohorte est missus: sicque est factum, ut unum portum Ligur Venetusque eodem tempore possederint. Assiduum inde certamen fuit, tormentis bellicis se citro ultroque incessantibus. Classis & ipsa ab hoste die noctuque machinis ad Virginium statutis assiduo ictu infestabatur.

Dum hæc circa Clodiam geruntur, Stellani interim Bernabovis auspiciis, ut Genuenses a Clodiensi bello averterent, rem Ligusticam graviter infestabant. Nam præter cæteras expeditiones, quatuor equitum millibus freti, ad Francisci fanum Genuæ proximum nonnunquam Asture duce adequitarunt, terroribus & pavorem omnia complentes. Sed eos novissime, eruptione ex urbe facta, Genuensis fundit: fusosque præter ipsum ducem, cuiusdam agricolæ opera servatum, ad unum fere omnes capit. Calojoannis quoque Imperatoris opes rem Venetam aliquid & ipsæ juverunt: quippe qui assiduīs excursionibus, ac nonnunquam acri oppugnatione Peram infestabat. Sed quum locus urbi propinquus ab Andronico filio, Mysiis & Turcis auxiliaribus teneretur, imminētis periculi metu in fide non diu mansit. Hæc procul domo: in Venetis vero Genuenses, qui ad levandam multitudinem triremes aliquas emittere vehementer cupiebant, duodeviginti longas naves sub ponte, qui est ad Marianam portam, in eum rivum traductas, qui parvam Clodiam a majore dividit, Brundulum usque laboriose traxere: hic armis & remigio instructæ, ante præsidium, erumpendi occasionem expectantes, consistere. Contra Veneti, ne impune Ligur abiret, pro portu stationem habebant, ut in apertum evadentes medio conatu opprimerent. Sed dum hostes in mora sunt, ac Venetus aquas insidere pergit, tam graviter triremes hostium telis afflictabantur, ut remiges desperatione adacti uno ore clamarent, solvi oportere obsidionem, nisi ad unum omnes qui in navibus essent circa Clodiam extinguī vellent. Illi quoque, quæ in littore præsidium tenebant, veriti ne a tergo Carrarius Princeps subitas cohortes immitteret, efflagitabant, inde, diruta munitione, deduci. Hortari omnes Pisanus, perferendumque adhuc